


B





994<sup>1</sup>  
9m



*P. Parmene* *W. M. Chouff.*

EXERCITATIO  
M E D I C A  
DECIMA:

*In almâ Argentoratensium Aca-*  
*demiâ proposita:*

P R Æ S I D E  
MELCHIORE SEBIZIO  
juniore, Doctore ac Pro-  
fessore Medico:

*Respondente*

M. JOHANNE MICHAELE ZITTELIN  
Argentoratensi.

ARGENTORATI,

TYPIS RIHELIANIS,  
ANNO M. DC. XXIII.

VIRIS,  
NOBILITATE, ERUDITIONE,  
atque Experientiâ præcellentissimis,  
Clarissimis:

Dn. JOHANNI KÜFFERO, Dn. JOHANNI FRIDERICO  
Phil. & Med. D. celeberrimo, inq; laudatissimâ hâc  
nostrâ Repub. Practico felicissimo: FUCHSIO, Med. idem D.  
eximio, & Practico apud  
Argentinenses commendatissimo:

DOMINIS, MECOENATIBUS, PATRONIS, AC PROMOTORIBUS apprimè colendis:

UT ET

VIRIS

REVERENDIS, DOCTISSIMIS, VITÆ Q.  
sanctimoniâ præstantissimis:

Dn. M. ERHARDO SUDNERO, Dn. M. MARCELLO Schenck  
RO, Ecclesiæ quæ Christo Buchsowillensis Scholæ In-  
in Surchhaussen colligitur, Spectori fidelissimo:  
Pastori vigilantissimo:

DOMINIS, AMICIS ATQVE FAUTORIBUS  
venerandis:

TUM ETIAM

ERUDITIONIS LAVDE, MORVM Q. INTE-  
gritate maximè conspicuo Viro juveni:

Dn. CHRISTIANO SUDNERO, SS Theol. studioso so-  
lertissimo, amico suo singulariter amando:

Decimam hanc Exercitationem Medicam

*In debita animi submissionis, grata mentis,  
sinceriq; amoris & in triumpho  
offert & inscribit*

M. JOHANNES MICHAEL ZITTELIN,  
Argent. R.

L 421



## PROBLEMA I.



N Chylus ultimam elaborationem, & summam quasi perfectionem adipiscatur in intestinis? *Ut in alijs concoctionibus tres spectantur operationes: preparatio, coctio, & absolutio completa: sic eadem etiam in prima, quae χύλωσις dicitur, observantur.* Et preparatio quidem fit in ore: coctio ipsa in

ventriculo: absolutio verò in tenuibus intestinis. Docet hoc Galenus l. 4. de usu part. c. 17. & ratio suadet duplex. I. quia concoctrix facultas, sufficienti instructa calore, concessa est intestinis, aequè ac alijs partibus omnibus, quae iners & otiosa nunquam esse potest. Agit ergò in objectum oblatum, chylum: eiq; supremum perfectionis gradum confert. Id quod commodè facere potest, quoniam chylus & propter longitudinem intestinorum, & anfractuum, sive gyrorum ac circumvolutionum multitudinem, & rugarum interioris tunicae copiam, diu in illis subsistit. II. quia intestina magnam habent tum in substantia, tum in temperamento cum ventriculo affinitatem: videnturq; nil esse aliud, quam cauda quaedam ventriculi, quemadmodum spinalis medulla cauda cerebri, & cerebrum oblongum perhibetur.

### II.

Quâ vi perveniat chylus ad intestina: pulsione, an tractu, an utroque simul? Probabile videtur pulsu ventriculi, & tractu intestinorum: tamen si Fernel. l. 6. Φυσικ. c. 2. & Laurent. l. 6. anat. c. 15. quaest. 0. tractum negent. Nam posteaquam ventriculus cibos concoxit, atq; abundè saturatus est, os dextrum, cui Pyloro nomen est, diducit, aspernatq; quicquid alimenti reliquum est, tanquam redundans ac molestum: veluti Gal. innuit l. 3. nat. fac. c. 7. Quare vis illius expultrix exurgit, & transversas fibras contrahens ventriculum coangustat, confectumq; jam chylum à se ex-



cludit, & per pyloron in intestina detrudit. Quod autem intestina  
chylum ad se trahant, præter auctoritatem Avicennæ l. i. can.  
fen. i. doct. 5. c. i. sequentes docent rationes. I. quia succus iste  
ipsis est valdè amicus, gratus & acceptus. Ut igitur lien humorem  
faculentum, vesicula fellea bilem, testes semen, renes serum, partes  
alia, quod sibi familiare est, ad se alliciunt: sic intestina chylum ad se  
ex continuo sibi ventriculo rapere videntur. II. quia non tantum  
fibras habent obliquas & transversas: verum etiam rectas, quan-  
quam pauciores: teste Gal. 4. us. part. c. 17. & 6. anat. ad min. c. 7.  
qua non tam ad transversarum tutelam, uti quidem plerique sen-  
tiunt, quam attractionem concessa videntur. Primarium quippe  
rektorum villorum officium est trahere: secundarium robur & sta-  
bilimentum transversis præbere. Illud enim præstant ubique & per  
se, hoc tantum extraordinariè ac per accidens, nec nisi in certis qui-  
busdam particulis. III. quia famelico existente corpore quinque de-  
prehenduntur symptomata, ordine quodam sese consequentia: vel-  
ut ex l. i. de symptō. caus. c. 7. colligitur. 1. exhaustus, sive ina-  
nitio & evacuatio partium. 2. suctus, sive tractus. Partes si-  
quidem exhausta impleri naturaliter desiderant. Implentur autè,  
cum trahunt à vicinis. 3. divulsio oris ventriculi. Etenim ina-  
nitæ partes, uti dictum, trahunt à sibi proximis: hæc ab iis, quæ sibi  
sunt continuæ: & sic deinceps: velut in choro, ubi primus trahit se-  
cundum; secundus tertium; tertius quartum, & sic consequenter:  
donec ad aliquod extremum fuerit per ventum: quod est orificium  
ventriculi sinistrum, ubi tractus cessat. 4. suctionis sive tractio-  
nis sensus. 5. appetitus animalis, qui dicitur fames. Quis hinc  
non perspiciat, trahere intestina tenuia à ventriculo: cum ab ipsis  
trahant vena mesaraica: ab his jecur: ab hoc vena majores: à venis  
majoribus singula partes per venas minores ex hepate ad se expor-  
rectas. Sunt enim ventriculus & intestina juxta Aristotelis pla-  
citum l. 4. part. anim. c. 4. animalibus instar terræ. Quemadmo-  
dum enim stirpes radicibus terræ innixæ alimentum inde hauriunt:  
sic partes animalium cibum ab intestinis trahunt: intestina verò  
illum ex ventriculo prolestant.

III.



### III.

Quâ virtute fiat distributio chyli ad hepar: expultricene  
 intestinorum: an tractrice hepatis & venarum mesaraica-  
 rum: an utrâque? Solâ tractrice tum hepatis, tum venarum me-  
 senterij. Nam intestina nō expellunt ad latera, quibus inserte sunt  
 vena istæ: sed secundum lineam rectam; supernè scil. deorsum: aut  
 contrâ infernè sursum. Duplex quippe eorum est motus: unus uαία  
 φύσιν, πειραστικὸς dictus: quo infrâ transmittuntur humores  
 noxij flatu & faeces: sitq; per fibras transversas & orbiculares: cum  
 nimirum illarum beneficio intestina sese supernè deorsum contra-  
 hunt. Alter πρὸ φύσιν, ἀνω ἐλκτιστὸς appellatus: quo ordine planè in-  
 verso flatu, faeces, chylus, & humores vitiosi per superiora excer-  
 nuntur: intestinibus sese dictarum fibrarum ministerio infernè sur-  
 sum colligentibus: adeò ut per inferiora nihil dejiciatur: idq; vel ob  
 phlegmonem meatum angustantem: vel obstructionem eundem pe-  
 nitus occludentem: vel levem & superficiariam ulcerationem. In  
 hac enim irritatum intestinum sursum transmittit, qua laesura e-  
 rant: contractionem præter morem ab inferiore parte instituens.  
 Talis motus in miserimo illo affectu, qui εἰλεὸς, & χόρδα & ὀνο-  
 catur, apparet: in quo nonnunquã stercora cum horrore spectantium  
 per os rejiciuntur: teste Galeno l. 3. sympt. caus. c. 2. l. 6. loc. aff. c. 3.  
 com. 7. aphor. 10. comm. 3. in l. 1. prorhet. t. 66. comm. 2. in l. 3.  
 epid. t. 6. l. 3. nat. fac. c. 13.

### IV.

Sitne dejectio faecum prorsus naturalis: retentio verò  
 planè animalis, sive volūtaria? Sic quidè persuasum habet Fer-  
 nel. 6. φυσιολ. 2. At nos retentionē quidè pro merè & purè animali  
 agnoscimus: cum beneficio solius muscoli sphincteris eā fieri videa-  
 mus. Hic enim alvi extremum, quod podicem vocamus, marsupij  
 modo intercludit, nec quicquam antè elabi sinit, quàm ratio jubeat.  
 Dejectionem verò prorsus naturalem esse pernegamus. Ratio est:  
 quia non tantum fit contrahentibus sese intestinibus per villos illos or-  
 biculares, de quibus dictum problem. præced. verum etiam premen-  
 tibus undiquaque musculis abdominis.

## V.

Utrum sanguinis officina sit hepar? De sanguine queritur venoso, sive alimentario: non de arterioso & vitali. Illius autem ἔργασις hepar esse, seqq. planum facimus rationibus. I. quia partim in hepate, partim non longè ab hepate omnia apparent excrementorum ἀποθήκων receptacula: vesicula, lien, renes cum ureteribus & vesica II quia hepar, ut suo loco ostendemus, est origo venarum. E. & sanguinis. Facta enim sunt propterea, ut pereas, veluti per canales & tubos, sanguis ex fonte & scaturigine sua in omne corpus diffundatur. III. quia nunquam labefactatur sanguificatio, nisi hepate laeso. Nunquam, ait Galenus l. 5. loc. aff. c. 7. & l. 6. loc. aff. c. 1. fit hydrops, nisi hepar sit affectum. At hydrops sanguificationis ἑρπῆσις & ἀπολυξία appellatur. IV. quia hepar concreto induratoq; sanguini perquam simile est: tametsi merus sanguis non sit. V. quia ex hepate sanguis derivatur in cor & reliqua membra, pulmone excepto, qui sanguinem suum immediatè à corde per arteriam venosam, & venam arteriosam accipit: non verò contra ex corde in hepar. Erronea ergò Peripateticorum videtur sententia esse, qui principem suum Aristotelem l. 2. part. an. c. 1. & l. 3. part. an. c. 4. nec non l. 3. hist. an. c. 19 sequuti, utriusque sanguinis officinam Cor statuunt: & sanguinem tantum in hepate preparari, non perfici: in eoq; tantum veluti in rivulo & canali, non ut in fonte & conceptaculo contineri asseverant. Etenim si hepar sanguinem tantum cordi prepararet, minimè sanè illum distribueret: utpote ob concoctionis ruditatem & imperfectionem ad nutriendas partes ineptum: sed cordi mitteret, ut ab eo plenè perfectèque coctus diffunderetur in totum corpus. At qui eum distribuit. Defecatus enim à bilioso, melancholico, & seroso excremento ad venam cavam concedit, maximaq; illius portio, priusquam cor attingat, ad truncum descendente, & venam portæ, ejusq; propagines fertur, infernas omnes partes perfectè aliturus. Quid quod etiam in partibus supernis duplex vasorum genus, venosum scilicet & arteriosum, dissimili planè sanguine refertum, conspiciatur? Cujus sanè unum idemq;

idemq; principium statui non potest. Alias & idem planè esset, & eodem vasorum genere contineretur.

VI.

Sitne hepatis parenchyma, an venæ illius principale αἱματώδες organum? Cui hepatis parti primariò sit accepta ferenda vis sanguifica, venosane, an parenchymatica, acerrimè inter se artis proceres digladiantur. Andr. Vesalius, Laur. Joubertus & Jac. Schegkiius eam solis venis tribuunt: easq; non solum conceptacula sanguinis, & organa distribuendo, sed & generando sanguini dicata esse contendunt. Parenchymatis verò triplicem usum agnoscunt: ut vasis affundatur, ne cohereant: ut vasa pulvinaris instar fulciat atque stabiliat: ut denique calore suo venarum αἱμάτωσιν promoveat. Contrà Joan. Argenterius omnem vim αἱματοποιουμένην venis adimit: eamq; soli hepatis parenchymati ascribit. Galenus l. 4. de us. part. c. 12. vim sanguificā αἱματώσιν tribuit parenchymati: δὲ ὑπερῶσ venis, vi à parenchymate sibi communicatâ: quam sententiam unâ cum Fernelio & Andr. Laurentio defendimus. Pro parenchymate autem hepatis Galenus loco allegato sequentes adducit rationes. I. hoc nititur fundamento In qualibet parte organicâ, cui actio aliqua commissa, certa quadam reperitur particula, cui nulla in corpore similis alia: eaq; propria totius organi actionis est author. Reliquæ partes communes sunt: quæ etiam alibi visuntur. Hinc sic argumentamur. Extra controversiam est, hepar αἱματώσιν ποιῆν. Nam hoc etiam Aristoteles concedere necesse habet. Propterea l. 3. part. an. c. 7. scribit, Cor & hepar omnibus animalibus sanguineis necessaria esse: illud quidem tanquam focum caloris: hoc verò ceu officinam & ἐργαστήριον concoctionis; puta secunda, quæ Medicis αἱματώσις. Itaque princeps sanguificationis causa vel erunt vena, vel arteria, vel nervi, vel membrana hepatis foris circumfusa, vel τῶροι χοληδόχοι, vel propria hepatis caro, quam Erasistratus παρέρχυμα, affusionem nuncupabat. Hisce enim partibus tota hepatis structura absolvitur. At non sunt vena, arteria, & nervi: quoniam vasa hæc omnibus membris sunt communia.

Neque:

Nequè membrana hepar involvens: quia à peritoneo orta. Multò  
 minus τῶροι χοληδόχοι: 1. quia originem trahunt à vesiculà felleà,  
 eandemq; cum eà naturam & substantiam habent. 2. quia bilem,  
 non sanguinem, continent. 3. quia non solum sunt in hepate, sed etiã  
 extra hepar: velut tūmis, qui ad intestinum pertingit: tūm qui ad  
 ipsam κύστιν χοληδόχον, quæ ne ipsa quidem pars est hepatis, porri-  
 guntur, planum faciunt. Restat ergò, ut primum sanguificationis  
 organum parenchyma hepatis statuamus: quod est velut caro ejus  
 & propria substantia. II. quia parenchyma istud sanguini incrassa-  
 to est similitimum. III. ratio duo præsupponit axiomata. Primum  
 est: quòd quælibet pars alimentum alterans eum sibi scopum & finē  
 propositum habeat, ut sibi assimilet, quod alteratur. Secundum:  
 quòd transmutatio alimenti in alterantis naturã fiat paulatim, &  
 quasi per gradus intermedios. Nulla enim res vel contrarias, vel  
 saltem multum differentes qualitates recipere potest, nisi per media  
 prius iter fecerit. Hinc sic ratiocinamur. Quæ pars alimentum alte-  
 rat & concoquit, ea juxta primum axioma id sibi assimilare studet.  
 Atqui hepar alimentum advectum, chylum scilicet, alterat. E. chylum  
 sibi assimilare studet. Verum hoc juxta axioma secundum repente  
 & simul facere non potest: sed paulatim & quasi per gradus: ita ut  
 prius medium quid inter carnem hepatis & chylum generet: quod  
 ratione quidem liquida substantiæ cōveniat cum chylo: ratione ve-  
 rò ruboris & crassitiei cum carne jecoris. Hæc verò media substan-  
 tia sanguis est. Itaque concluditur, parenchyma τῶρων αἰμαλοποι-  
 ῆσεως ὄργανον esse: quod partem sanguinis à se genitam sibi  
 assimilat: reliquam verò, utpote sibi superfluum,  
 per venas in totum corpus diffundit.

F I N I S.

Q1 A 6570


ULB Halle 3  
002 937 867




12

1017








*1720 M. Christoph*

A



ORATIONE  
MEDICAE

toratorum Aca-  
demiae

SEBIZIO  
toratorum Pro-  
fessore

toratorum  
toratorum

toratorum  
toratorum  
toratorum

